



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1619.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Comes Fürstenbergius legatus à Ferdinando petit à Rege Galliaë auxilia contra Bohemos.

ANNUS 1619.

Matthias Imperator Ernestum Comitē Mansfeldium Nothum alterū factionum Bohemorum Principem ob occupatam Pilsnam, & alia in Imperium commissa proscribit edicto 19 Februarii; & Martii die 20 moritur, Princeps de re Catholicā optimè meritus.

Turrianus & Mansfeldius mensibus Aprilis & Majo in Bohemia omnia cædibus, rapinis & incendiis vastant: Catholicos, præsertim Ecclesiasticos in exilium ejiciunt, Cardinalem Dietrichsteinium spoliatum rebus omnibus in custodia detinent.

Ferdinandus Rex Ungariæ & Bohemiæ Francofurti ad Moenum, adnitentibus præcipuè Schwicardo Moguntino, Ferdinando Coloniensi, & Lothario Trevirensi Electoribus Ecclesiasticis, nec dissentientibus sæcularibus Palatino, Saxone, Brandenburgico, qui aderant per legatos, 28 Augusti proclamatur Augustus, & 9. Septembris Imperii insignibus inauguratur.

In Bohemia à Rebellibus abdicato Ferdinando

dinando

dinando in Regem eligitur 15 Septemb. Fridericus Comes Palatinus Rheni, Regis Angliæ gener, & 14 Novembr. ritu solenni coronatur.

Sub auspiciis Friderici Turrianus Viennam obsidet, Mansfeldius cum Bucquoio Duce Cæsarianarum copiarum confligit. Uterque infeliciter. Copiæ Mansfeldicæ ad Nardlitziam urbem Bohemorum ad internecionem propè delentur, signa militaria 14 capta, apparatus omnis bellicus victoribus in prædam relictus.

Turrianus Mansfeldii clade perculsus cum ignominia Viennam deserere cogitur.

Ligistæ (sic dicti fœderati Catholici) Moguntinus in primis septemvir, Herbipolensis, & Bavarus numerosum militem conscribunt.

Bethlemus Gabor Transylvaniae Princeps capit in Ungaria Cassoviam, Filecum & Posonium cum corona Hungaricâ ibi asservata

Philippus Rex Hispaniæ cum Philippo filio, & Elisabetha ejus sponsâ in Lusitaniã veniens facit in eorũ verba jurare Lusitanos.

Viennæ in Austria Carolo Gonzagâ Duce Nivernensi præcipuo Authore institutus Ordo sacrae militiae Christianæ sub prote-

etione B. Virginis, sancti Michaëlis & S. Francisci confirmatur à Paulo V.

Cassoviæ in Hungaria superiori trucidati in odium fidei, quod ex pulpito nolent execrari sanctos, Grodecius, & Pancratius Soc. Jesu Sacerdotes.

ANNUS 1620.

Mense Februario Imperator Friderici Palatini electionem Bohemicam declarat irritam, Friderici filius sexennis à Bohemis declaratur successor regni.

Imperatori mittuntur subsidia militum & pecuniarum à summo Pontifice, Regibus Hispaniæ & Poloniæ.

In Conventu Ulmensi convenitur inter Maximilianum Bavarum caput exercitus Catholici, & Joachimum Ernestum Marchionem Anspachium Ducem Protestantium Bohemis correspondentium, ne quidquam hostile agatur extra Bohemiam, ejusque provincias, & Domûs Austriacæ hæreditarias regiones; Bavarus protestantes Austriæ cogit renuntiare fœderi Bohemorum, & obedire Cæsari. Hujus nomine Elector Saxoniæ occupat Lusatiam, quam postmodum fiduciario jure possidendam accepit.

Am-